
Vincentii Sergii

IN FVNERE
SERENISSIMI
FRANCISCI MARIÆ
SECVNDI E RVVERE
VRBINI DVCIS
IVLII CÆSARIS CAPACII NEAPOLIT.
ORATIO



NEAPOLI,
Ex Typographia Io. Dominici Roncalioli . 1631.
SVPERIORVM PERMISSV.

SERENISSIMO
FERDINANDO
SECVNDO
ETRVRIÆ MAGNO DVCI QVINTO.

IVLIVS CÆSAR CAPACIVS.

VErebar, maxime Princeps, ne cum in celsissimi Francisci Mariæ Secundi, Vrbini Ducis laudationem, palustrem calamum arriperem, mens obruta magnitudine rerum mergeretur in ignorantia verecundiùs, cadere tq. manus quæ à scribendi purgato stilo aberrans in virorum doctorum querelarum gurgite fœdè obuoluta, Duci gloriam, mihi abriperet opinionem. Hanc profectò nihili facio cum nullam vnquam me rudem hoc sæculo, nec ornatum litteris, potuisse consequi cognouerim. Illam vero accuratè mihi spectandam reor, cum de nemine gloriosius posse loqui mihi persuadeam. Vtramque tamen Magno Etruriæ Duci gloriosissimo acceptam referam, si opinio, tua magnitudine suffulta non cadet, & gloria illius virtute elata sublimiùs, Magnorum Etruriæ Ducum stemmate facta illustrior, non meæ inconditæ orationis vocibus, sed Mediceorum Serenissimæ domus

splen-

splendore, æternùm erit victura. Munusculum beneficiorum in me singulare argumentum Mediceis Augustissimis debitum mitto. Tui celsissimi animi præstantia accipias, & foueas, vt in tua magnanimitate crescat vberiùs. Vale.

IN FVNERE SERENISSIMI FRANCISCI MARIAE SECVNDI E RVVERE, VRBINI DVCIS

JVLII CÆSARIS CAPACII

ORATIO.

QVantum illustrissimarum, maximarumq; rerum Sol ipse cœli oculus ex altissima specula sex millium annorum cursu potuit illuminando contemplari, cōtemplando ad sui conditoris gloriam perpetuò admirabili giro fulgoris perennitate retinere; Quantum rerum memorabilium Annalium vetustas valuit æternis monumentis immortali fama adscribere, & recensere; Quicquid Pandora ad cōgerenda mortalium dona seruare sibi proposuerat gloriosum; id omne tanquàm diuitiarum ærario, in FRANCISCO MARIA, *Vrbini Duce lectissimo Principe, Heroum flore, nostri sæculi miraculo prospectauit æmulus, & quæ natura condiderat, astrorum dicarant virtutes, mortalium voces prædicando & regnantium exempla imitando protulerant Syrænarum præconio, quæ cœlos cōtorquent, et celebritate vigebant, in tanto viro huiusmodi est admiratus, vt putarit, quæcunque res humanæ fuerint consequutæ,*

in

in communem eiusdem magnitudinem, præcinente Famæ sonitu perueniſſe. Quid verò (Auditores) miramini? quæ nam proloquor? monſtroſa fortaſſe putabitis, quæ rara narrantur in Principe cuius gloria illuc perducta eſt æternitatis, quò tenebris obductæ cæterorum Italiæ Principum gloriæ, hoc potiſſimùm nos docent, vt ſerò ad nos perueniſſe eius gloriam fateamur? & quod ferè diuinum in humanarum rerum faſtigio collocatum vidimus, Europæ, nedùm Italiæ ornamentum, infelici earundem caſu cecidiſſe cognoſcamus, quodq; à temporis caduca labe abeſſe debuerat, eiusdem edacis temporis iniuriam, mortisq; tyrannidem abſtuliſſe doleamus?

Heu, heu. Vrbini Dux Sextus, idemq; poſtremus mortuus eſt; in quo poſtremo cuncta bona poſtrema conquieſcunt, nec vltrá eius celſitudinis maieſtatem quisquam mortalium audeat tranſilire; lux ipſa, inquam perijt claritatis; mœretq. Sol, qui tanti numinis luminibus caret, & in ſua orbitate ſqualet orbis, lugetq; lacrimis inconſolabilibus, cum tanti Herois obitu nihil ſit reliqui, quod aut magnum admiretur, vel ferè cœleſte queat conſpicari, aut reputet dignũ orbe deinceps poſſe reperiri.

Obſequiturq; Metaurus, cum in eius ripis lugẽtibus Cycnis, profuſas lachrimis, & ſuſpirijs tumentes aquas ad Adriatici maris littora ſic prouoluit, vt totius terræ ambitum dolore, & mœſtitia adimple-

rit,

rit, & quæ viuo Duce, sexaginta annos viderat culta, aperta, roscida, florentia, mox ipso decidente Heroum flore, vasta, inculta, muta, tenebrosa, atq; arida deplorarit. Peioraq; expectanda duxisset, nisi omnem amaritiem dulcedine mellis Hyblaei suauioris, abijciendam certò sciret, & cuncta felicia, & fausta in Sanctissimi Maximique Vrbani VIII. fauore expectaret. qui in cæteris omnibus magnificentissimus, in Francisco Maria celebrando, & cohonestando singularis, quantò iucundius pietas niteat, quàm habendi facultas desideretur, edocuit; maiorq; & nobilior in tanto viro deplorando, quàm in Sedis Apostolicæ ditione recuperanda maluit videri; qui tamen semper fuit in votis vt Romanæ Ecclesiæ amplitudinem & maiestatem ornaret commodis, imperio augeret, cresceretq. vlterius eundo, quæ debuerat Deo iubente, per annorum tempora, sublimi rerum ordine Ecclesiastico & temporali Jmperio vigere, & ad omnem felicitatis æternæ gloriam vsque ad consumationem sæculi propagari. Opulenter mundi Arcem muniri decet, & publicum Christianæ Religionis ærarium præclaris, multisque opibus sustentari. Atqui Dei Maximi benignitate sacrum Ecclesiæ corpus cui ferales rerum euentus tyrannorum sæuitia, hæreticorum detestanda prauitas, bellorum turbines, perfidorum calumniæ, grauia vulnera inflixerant, iam tandem Ferraria recepta, Vrbino in-

po-

potestatem redacto, alijs locis maturè sub Ecclesiastico cœlo collocatis; Maximorum Pontificum Clementis Octaui, & Vrbani Octaui salubri medicina magna ex parte sanari conspicimus, omnemq pristini status redintegrationem in successoribus auguramur, vt recuperatis quæ amiserat, nouorum adoptione S. Romana Ecclesia semper sit gauisura; siquidem flumina (vt iuris est) mare intrant, & in Imperij Apostolici vastitatem redundabunt. Hoc decet vt omnes potestates superemineat, hoc precamur assiduè, vt pristinus ille primatus a petra angulari in Petro solidè constitutus, Apostolorum virtute prouectus, Spiritus Sancti gratia confirmatus, veluti feliciter incœpit, mirabiliter adoleuit, sic æternitatis ætatem ad Dei gloriam, summa cum felicitate conficiat.

Ergò ne meus ille ardor animi quo ad tanti Principis merita publicanda excitor, studiumq. sinceræ, & honoribus cumulatæ seruitutis, & beneficia quæ per tot annos effecta percepi, et adhùc animo significata nefas esset nō venerari, indoctum me homunciōnē, qui vix ab inscitiæ tenebris pedem promouerim, reddent hoc tempore Oratorem, cuius lingua torpet, & qui maiori voto quā ingenio, celsissimi Principis amplitudinem prosequi posse intelligam? Orationem proculdubio moratur verecundia, festinantem vero vrget et impellit amor, & Vrbini Ducis gloria quæ profecto flammis elata immortalitatis ex ingenuo pecto-

re

rē efficaciùs ēmicabit, quā ex terræ visceribus ignes erumpunt. Lucidior in tenebris humilium aliquando loquentia, quàm in luce clarorum virorum, & ornatè dicentium eloquentia nitet, & simplici obseruantium sermone aliorum ornatus obruitur, quibus demortuorum recondita non patent. Trahat, precor, vestram, (Auditores) mentem pietas, cum desit in me dicente prosperitas facundiæ.

Obijt Franciscus Maria Monfeltrius è Ruuere, Italiæ decus, Corona Principum, qui natus Pisauri vigesima die mensis Februarij anno 1549. è viuis excessit in Castrodurante die vigesima octaua mensis Aprilis anno 1631. ibidemq exundantem cunabulorum lætitiam obruit Sepulchri parentatio, & subditorum preces quibus ad nascentis felicitatem Diuinæ misericordiæ dona deprecati sunt, in eorundem lacrimas sunt conuersæ. Felix natiuitas precibus impetrata; felicissima mors, quæ in CHRISTI Saluatoris morte abscondita, in eodem resurgente (obijt enim die Dominica in Albis) ad æterna cœlestia gaudia Principis animam introduxit.

Octuagesimus secundus ab eo nato annus voluitur, sed annorum æternitatem, æuo sempiterno, quod de tàm pio Principe credendum est, erit consequuturus. Felices animæ quibus cum CHRISTO resurgente ex humanis decedere datum est, nam de morte cum eodem triumphant, & in Albis cum Angelici

Senatus candidatis, ad æternæ lucis cõsurgũt albores.

Hæccine est illa tua Francisce Maria recordatio quam continuò meditabaris, & qua Sanctitatis specimen tuis Aulicis, omnibusq. qui te norant domi forisq. huiusmodi præbuisti, vt vel si viueres, mortuus tamen sanctè humiliterq. viuendo existimareris? Quàm sæpè in illa præclara D. Hieronimi sententia de mortis cogitatione te oblectabas? Quám cupidè in æde Ducali tres doctissimos Patres Franciscanum, Dominicanum, Clericum Minorem tribus diebus de morte prædicãtes (sic enim iusseras) audire voluisti? Quã sæpè in sepulcrorum memoria in meæ coniugis obitu me consolatus es? Quàm iucundè mecum loquutus dixisti, te non mortem quam expectabas timere, sed alios conspicere morientes abhorruisse? Conspexisti tamen, & matrem, patremq; vxorem ac filios morientes obseruasti, & vlla vnquàm te mortis imago perterruit, tui enim ipsius mortis cogitationes mentem imbuerant, & hoc indè premium consequutus es, vt cum CHRISTO è mortuis viuente, lætabundus mortem amplecteris, & quæ alijs esset horribilis, tibi placida gaudium esset allatura. Tantum voluptatis capiebas cum de morte sermo haberetur, vt mori tunc voluisses, cum suas tibi illecebras mundus offerret, & tuæ celsitudinis præstantia, omnium laudata obsequio, rerum copia, sublimitate sapientiæ, fieret humanæ felicitatis ostentatrix. Augebant hæc

om-

omnia Ducatus tui dignitatem, ex mortis verò sermonibus oriebatur incrementum, atque addebas aurea illa verba, te viuentem non plus esse posse quàm Vrbini Ducem, sed morientem euadere posse immortalem. Ità christiani hominis virtutem se offerri probandam, sic non Damonis & Pythiæ fabulosam familiaritatem, sed animi & corporis amicitiam, ità simul connectendam, vt alter percupiat excedendo gloriam, alterū properet ad metam immortalitatis.

Huiusmodi ignito diuini amoris vehiculo, quo flagrabat, celsissimi huius Principis mens cogitando, imperando, quodlibet agendo ferebatur ad Deum, atque in eo pondere quo seipsum cum morte librabat, eò euectus est, vt fuerit subleuatus in cœlum. Eius maiores prædicantur bellica virtute præclari, Ecclesiastica Maiestate insignes, litterarum ornamentis incomparabiles; ipsi verò quicquid in alijs laudatur, assurgit; & quæ vera esse cuncta in alijs non ignoramus, in hoc esse singula non veremur. Mors illis clara Ducibus, militibus, vatibus, Oratoribus; huic præclara inter Italiæ Duces eximio, militibus æterna laude celebratis cohonestato, clarissimis vatibus insignito, facundissimis Oratoribus ornato, inter quorum ora viuus volitabit, dùm eius domus titulos leget æternitas, non titulos illos Sarmaticos, Alemanicos, Africanos, sed sapientiorem Cyro, cautiorem Epaminonda, religiosiorem Numa, venerabiliorem Romu-

lo, & cuius Augusta forma & species quæ omnium obtutibus cœlestem potius quam humanum hominem repræsentabat, efficiebat vt cuncti mortales intelligerent in ea commigratione plurimùm è cœlo traxisse. Gestis hoc ipse moriens compositis, christianis moribus testatus est, verbis christiano Principe dignis declarauit; vix enim extremam horam illi nunciarunt, cum erecto paululũ de puluinari capite, manibusq; in cœlum sublatis, ait, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus. Ex imo corde in quo Christum habebat, optimus Sancti Senis Simeonis æmulator, cœlestia verba cœlestis aura deprõpserat, ipseq; interim suauissimè animam efflauit.

Fortunate Senex, qui diuina sensa cœlestibus verbis proloquutus, ab Arcanis Sanctorum penetralium edoctus es te facilius quàm per Lacteam viam ad Empyreum posse ascẽdere. Inuidebat Ægyptus ꝙ balsama & aromata ferret Arabia felix. Inuideant mortales animæ felicissimæ spiranti suauiora, & quæ potuerit audire; Quã dulcia faucibus meis eloquia tua? Phœnicem in senectute rogum sibi struere scribunt flammisq. excitatis comburi, & ex cineribus renasci iuniorem. Vanitatis inuentrix credidit Antiquitas, vt incredibilium fides rerum non claudicaret. Nos vera dicimus, & Christianam fidem sine experimento admirantes veneramur. Senex sibi Princeps lectisternium ex recordatione mortis, & obseruantia in

Deum

Deum parauit, flammas adhibuit amoris æterni, vt conuersus in cinerem, iuuentam resurrectionis expectaret; id quod fide credidit ad iustitiam, ore confessus est ad salutem, & mori pulcrum, & renasci pulcrius existimauit. Neq. tantundem est Aquilam & hominem, renouari, quandò renouatur homo ad æternitatem Aquila ad deficientem iuuentutem; sed Aquila fortunatior Heros Catholicus, *qui non ad Solis radios sustinere diem arduum arbitrabatur, sed in Dei luminibus sperabat æternam lucem contemplari.*

Quos gemitus viduata tecta non resonarunt? Quæ suspiria adstantium pectora deuotionis ardore non eructarunt? Quæ lugubria mœstissimis vocibus & vlulatu non exaudita fuere? Quæ non apparuere luctuosa cœlo quod cecidisse visum est, terræ obductæ velo squaloris, coniugi de summo felicitatis gradu in calamitatis abyssum deiectæ, seruis vltima iactuctura attritis, amicis in quorum frontibus desolationis imago remansit, mortalibus omnibus, cum efflaret animam is qui mortalium familiam ducebat augustiùs? Iuga collium, amœna conuallium, tanto dolore sunt affecta, vt vel arbores, & saxa debitas lacrimas exudarint. Omnis enim magnitudo reluctata est, & merita virtutum quæ ipso viuente in maius extollebantur, subito languere depressa, quæq. ascenderant altiùs, iam nec locum reperiunt in quem descendant.

Ani-

Animabat corpus Heroicum illustris anima, qua discedente totius maiestatis corpus contabuit, nec quisquam est, qui perijsse quoque Ducatus gloriam non asseueret. Sic subitò nubes eripuit Solem. Sic mortalis instar trophæi ad omnem amplitudinem extructus, puluis est et vmbra. Tenebræ mortalitatis extincto flori se offuderunt certiùs quàm riget niue Caucasus, Istrum gelu adstringit, aut ardet viuis flammis Phlegra. Augustam formæ maiestatem, tabidus horror infecit; oculi luce serenissima fulgentes, noctis obscuritate teguntur. Os illud præclarum in quo apes mella constiparant, mutum, aridumq. eloquentiæ prostituit dignitatem. Totius corporis illa claritas quæ nascentem animauit ad glorias, viuentem seruauit ad virtutes, mortuum, quamuis deserere videatur, tamen ad mortis dedecus latet in tenebris, lucidior veluti Sol è nubibus proditura. Mens illa quæ prouidè, & sapienter humana omnia, atque diuina collustrabat, exuta corpore, ignota nobis, in cœli regione versatur. Præclarum corpus natum ad Imperia, terræ imperio redditur obnoxium; iacetque humile, quod continenter sublimi magnarum rerum spiritu fuerat subleuatum. Sit lætabunda mors quod prosternit gloriam mortalitatis; magnificentiùs exultes Dux maxime, quod in decus & gloriam mors tibi cedit, nam quæ putarat necasse hominem, Semideum (si dicere licet) ad vitam reuocauit. Quo maio-

re

re impetu petit ardua, tanto turpiùs illorum casu victa prosternitur. Interim Lucifer qui mane in microcosmo fuerat, iam vesper adest occiduus. O admirabilem dexteræ mutationem. Sed Furio Camillo qui de tot prouincijs triumphauit, maior Franciscus Maria, exanguis, immobilis, colligatis ad pectus manibus, clausis oculis, silenti cadauere, de potentissima in genus humanum bellatrice morte triumphat. Herculis arbor adunca falce percussa procumbit, sed repullulabit vberius. Flos decidit, sed suauitatis emisit odorem. Quòd si hæc in te cadunt gloriosa, Princeps optime, quid tua interer it, si subtractus cineri, cinis in flammas vertetur æternitatis? Si in terris cum totius orbis præconio ventura posteritas sublime nomen sine exemplo, & omnium retrò Principum admirabilius recolet? Si certatim naturæ miracula in te vno celebrando concurrunt? Si vnus præsenti sæculo eximius, vnum futura nuncupabunt Heroicarum virtutum alumnum, qui cum felicitate viuens gaudere cœperis, perfectam felicitatem moriens assequutus, cæteris hominibus supereminea s?

Hæ sunt quas volens, mœrens tibi Principi, patrono, domino querelas voueo, & libentissime in proximum oppidi fluuium transformarer, vt me totum in lacrimas effunderem. Nihil huic funeri darem, si me totum lacrimantem offerrem, cùm te mihi totum liberaliter tua summa clementia & benignitate

præsta-

præstarē dignatus fueris. O dominum, o patronum, o Principem. Vnus itemq. certissimus meus in te amor æqua cōditione luget ac si ipse morerer, eò tamē inferiùs quòd me moriente terræ filius occideret; te occidente mundi decus interijt, & ornamentum. Parentant lacrimæ, et in ijsdem contumulor, peteremq. si per ætatem liceret, inhospitale litus, abditissimam siluam, vt tui memoriam nihil præterea cogitando, solitudini consecrarem; sacratam verò Deo Maximo orationibus & suspirijs huiusmodi tuis cineribus dedico, vt in perpetuum sit duratura.

Mors digna digno Principe, Princeps mortalis, immortali vita conspicuus. Mortem verò, o Dux æterni nominis, quæ se tibi obtulerat in Ambracij sinus gurgitibus, & quæ inter cruoris anfractus potius, quam inter maris vndas ouans oberrabat, protriuisti pugnando. Hoc autem tempore vicisti moriendo. Crediderat fortasse te illi succumbere, cum annosa ætate careres viribus, quæ nihilominùs integra iudicio, & sapientia, & moriendi necessitate secura, tantū abfuit à mortis timore, vt mortem nihili fecerit & contempserit, cum eadem omnium rerum suffragijs abstulerit calamitatum incursiones, periculorum minas, ventosos aurarum popularium plausus, mendacia Principum mentes captantia, libidinum ardores, metum, dolorem, illecebrarum insidias, cunctaq. mala quæ fallaci vultu mundus ingerit, & mortalium

animos

animos continenter illigatos illudit. Vicisti tandem, & veteranus commilito, in Christianæ militiæ laboribus assuetus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ insignia sequutus, Euangelicis dogmatibus armatus Christianus Princeps obijsti, nunquám Famæ præconio intermoriturus. Triũphet ad Metauri ripas Claudius Nero potentiæ Romanorũ ensis accerrimus, qui barbaram Hasdrubalis feritatẽ frenauit; triũphent fortissimi tuæ domus Duces qui Eridani superba fluenta sola præsentia coercuerunt quibus Hispanus, Gallus, & Insuber altissima trophæa extulere; tu verò Princeps triumphes alacriùs, qui demonem barbarum, Angelorum comitatu superasti, & qui CRVCIFIXI trophoeo, futuræ gloriæ palmam tàm benè, & Christianè moriendo fuisti assequutus.

Quid verò diutiùs in Vrbini Ducis morte immoramur, quam vitæ commutationem fuisse scimus? Cur de eius vita non loquimur, in qua tot dicenda reuiuiscunt, quot prælucentium siderum qualitates omnigena potestate valeant naturæ conditionibus ostendere, quot Oceanus arenas accipere, & reddere nauigantibus queat, aut animantium generi terra varias res impartiri? Non loquor hyperbolicè, de hoc Principe, nec solito more de illo dicendum, cui omnium laudum thesauri debentur.

Res altiùs petenda est. Ex amplissima & fœcundissima Quercus arbore, germen hoc prodiuit. Ex

Pedamontana regione Serenissima familia é Ruuere originem ducit Inclita vetustate suprà millesimũ annum recensetur, & incorruptis monumentis adhuc veram sui refert imaginem; clara nobilitate illustrium virorum, quorum memoria in Taurinis, & Longobardis egregia nimis habetur, & quorum amplitudo postmodùm ad suos Principes huiusmodi peruenit, vt abundè sit Jtaliæ gloria his Heroibus pace, & bello illustrari. Neque verò huius loci est vt prisca repetam, & in Harmondo, qui à Rangiberto Taurini administrator relictus, & bello quo de Regno cum Luitperto contendebat pro symbolo, Quercum tulit, vndè cognomen in posteros dimanauit; Neque in obscuro est primordia generis augustiora ab eodem sic reddita, vt additiones magistratusq. tũ summorum procerum coniunctiones, eximio splendore ad Ilprandum vsque produxerit, quorum nepotes Taurinum, & Sauonam incolentes, locorum non generis diuortium fecerunt. Sed festino ad demortuũ Principem; quem pari gradu cum maioribus suis animi corporisq. robur arduusq. rerum euentus, & inter fortia facta atque triumphos gloria ad excelsi Ducis columen protulit.

Proxima originibus querenda sunt quæ cùm magnitudine laborent, laborem mihi pariter ac voluptatẽ in mœstitia & dolore sint præbitura. A Simeone Leonardi filio Franciscus ille genitus est, quam

Fran-

Franciscanæ familiæ addictum Paulus Secundus in Cardinalium numerum cooptauit, & qui post illius obitum Xisti Quarti nomine Pontifex creatus est. Cuius auspicijs alter in familia Pontifex prodijt Iulius Secundus Raphaelis filius, cui antea Cardinali tituli S. Petri in vinculis Iuliano nomen erat. Quãobrem præclaris his duobus numinibus, nouem adscitis Cardinalibus, Romana Præfectura, Aragonensium genere in Ferdinandi Primi Regis filia Leonardo nepoti nupta, Soræ Ducatu in Campania addito, tantum splendoris allatum est, quantum rerum ab ipsis gestarum gloria propalauit. Mortuo absq. liberis Leonardo, quæ possederat, ab eodem Ferdinando, Joanni Xisti nepoti tradita sunt, cui Federicus maximi nominis in Italia Princeps, Joannam filiam collocauit, accepto à Pontifice Senogalliæ, & Vicariatus dominio. Ab eo quidem qui sub Carolo Octauo, et Ludouico claruerat, ortus est Franciscus ille Maria Primus, belli fulmen, & Rerumpublicarum, Regumq. defensor, cuius magnitudini, Ioannæ Monfeltriæ matris gloriæ accessio facta est inter tempestates quas excitarat Valentini Cæsaris ambitio, qui ad ditionem Vrbini animum adiecerat, cum Guido Dux sibi illum adoptasset, nullis ex Isabella Gonzaga susceptis liberis, in aulis Regum enutritus ad illustrissima gestorum culmina peruenit.

Nec immorandum censeo in Monfeltranis &

Taddeis magnis Heroibus qui pro Carolo Sexto, & Manfredo in Regno Neapolitano tantum sibi gloriæ, quantum in Sicilia pro Constantiæ Reginæ victorijs compararunt. Nec in Guido Pisarum domino Imperiali Vicario, & Nolfo qui & Mediolani plurimùm valuit, & ab Innocentio Sexto, Ludouico Imperatore, & Boemiæ Rege Assisiorum, & Fori Julij dominia accepere, nec in Guido Antonio Spoleti Duce Romanæ Ecclesiæ Vexillifero, Siculi Regni Comestabulo. Prætermittam & Guidum Federici filium, qui nunquam à patris vestigijs deflexit, Aragoneis Regibus charum, ab Rege Anglico Garettieræ ordine donatum, quem Bibieni, Bembi, & Fregosij ab ipso enutriti non satis laudarent.

Sed in altero Guido Vbaldo Francisci Mariæ Primi filio, Secundi, Principis de quo loquimur Patre immoremur, cuius maiestatem, liberalitatem, Aulæ amplitudinem quis vnquàm pro meritis laudaret? quis Virtutis & honoris templum sumptuosiùs extruere conatus est? Quis inter Italicos Principes forensi, & domestico apparatu splendidior? Quis ad maiestatem elatior, ad mansuetudinem procliuior, ad regendos populos prudentior? Quis litteratorum virorum fautor atque alumnus liberalior? Audeo illum dicere tranquillum Numam, humani generis amorem, pietatis exemplar illustrius

An-

Antonino. Donabat hilariter, ægris opem ferebat, vt quod de Traiano dicitur, ad conspectum sui ad salutem sanitatis propeperent, & vt peculiari gaudio parentem non Ducem consalutarent. Nec aberant à Victoriæ Farnesiæ vxoris communes lætitiæ, quam non tantum Illustrissimorum Farnesiorum stemma Pauli Tertij Summi Sanctissimique Pontificis nepotem extulerat, quantum immensa propriæ virtutis eloquia præteruolasse illam nubes, & præsentes ac veteres magnificentissimas Matronas superasse prædicabant. Innocenti vita, & bonitate clarior, in cuius pectore religionis charitas, charitatis amor fouebatur illustriùs, in cuius manibus eleemosinarum thesaurus seruabatur, apertiùs; in cuius oculis in dies viri augebatur obseruantia, sobolis alebatur disciplina; cuius sermo continenter ferebatur ad Deum, nec vllo vnquam tempore sterilis ad deuotionem, semper in illam se insinuabat fœcundior. Clarissimum Farnesiorum nomen, solam Victoriam euexisse dicamus (Auditores) & qui illam nouit, nihil a veritate aberrare dicentem fatebitur. Ad hæc duo Numina videnda & obseruanda, ex tota Europa nobilissimi viri confluxere, qui Vrbini domum, Palatinis, & Romuleis ædibus reddiderunt augustiorem. Hinc viri, & coniugis tantus erat animi

splen-

splendor, vt vel in subditos emiserint radios, quos vel Vrbanos effecerit ciuilis vsus, et nobilitate præclaros, vel rusticos (quod quidem sum admiratus) per rura inter aratra, trabeata ferè veste conspicuos, tantùm generosi & magnanimi Principis valet auspicium totius orbis testimonio comprobatum.

Quid mirum si ex eorum fonte manantes honores in filium vberiùs deriuarint, atque tradaxerint? si hæreditaria generis facultate, insignia & excelsa monumenta familiæ in illustrissimo Principe cumularint? Concreuit in filio magnarum rerũ cumulus, & exundauit vndosior, veluti ex varijs fluminibus mare concrescit, & tumidiùs vagatur. Adhuc enim æui immaturus, sed dominandi potestate mâturus ostendit cursum ætatis non expectandum in festinatione virtutis, in qua lux Principis iam è cunabulis elucet. quemadmodum orientis Solis matutina lumina, illicò cæli ambitum perlustrant. Quæ nascentem puerum immortalis gloria auspicata est, eadem adolescentem præclaris operibus comitata, veluti vmbra, omnimodo lucidum nunquám deseruit, & bonis artibus primum institutus, egregiorum virorum (Commandini, Paciotti, Guastallæ Abbatis, & aliorum quos florentissima illa mundi commendauit ætas, disciplina imbutus, iam tùm cum in puero futuræ virtutis indoles micaret, tantum profecit, vt intrà paucos annos, suæ ætatis in litteris commilitones fausto conamine anteiret.

Extulit

Extulit gradum subitò per disciplinas, & semper sciendi cupidus arcanorum amator, philosophicas, & mathematicas theses vorauit auidè, factusq. illarũ belluo, impatiens ocij, nihil sibi proposuit gloriosius, quàm sapientiæ thesauris non posse exatiari, nihil voluptuosius quã in studia inhiare percupidè, totũq. se in librorũ lectione conuertere, abdere se in bibliothecis, ab hominũ illiteratorũ cõsuetudine abhorrere, nihilq. antiquius sibi expetendum, faciendumq. curare quàm quæ Principem decent peruigili cura et studio comparare; & inter summos cordatosq. Principes Alfonsum Aragoneum Regem laudabat enixiùs, qui bouẽ appellauit hominẽ dicentem, imbui non deberi litteris Heroum filios quos bellorũ, & armorũ labores essent expectaturi, quasi verò non ad sapientiæ cotem belligeri sapientiores euadere queant, afferebatq. Polybij exemplum scribentis, idcircò Romanos suos milites docuisse vt lucida hostibus arma pugnando obijcerent, quò tutius animos roburq. illorum perfringerent; sapientiam verò lucidiores loricas, & gladios efficere. Vana sibi persuadere Principes nostros, qui indoctũ docto Principi putant anteferri, cùm rude robur nunquam auratam victoriam sit consequuturum. Nec Græci, nec Romani Imperatores caruere litteris; nec inficias ibunt Barbari apud quos Mahometes inter Turcarum tyrannos eximius, historicos nostros in eorum idioma conuertendos sibi proposuerat,

rat,

rat, vt in bellicis rebus fieret instructior, & immanitatem crudelitatis non vt bestia coleret, sed vt homo frenaret. plus esse ingenij vires, quàm naturæ hortamenta æmulari.

Verum ne quis arbitraretur Vrbini Ducem belli gloriam aspernari, sed vsque adeò concupisse, et cùm iam orbis terrarum bellorum tumultu & flamma flagraret, Othomanus maximam cladem comparasset, quò Philippo Regi cladem qua nulla alia virulentior, inferret, aduocatis Asiæ atq. Africæ uxilijs, cum Europeis huiusmodi coniunxit, vt omnem orbẽ in Hispanam Monarchiam, & Christianam Religionem armasse existimaretur; ardebat gloriosissimi iuuenis animus, et ad summos illius belli triũphos properabat, totq. maximorum Heroum comitatu quos ad eadem pericula subeunda æmulatrix gloria inflammarat, sic occurrendum studuit hosti, vt quæ sapientia comparauerat, cum decore corporis & Principis dignitate possent æquari. Extollantur aliqui Imperatores à summis Oratoribus qui dixerunt, eorum animos antequam in corpora venirent, digna pro habitu suo metatos esse hospicia, vt cunctis rebus quæ cœlesti claritate abstrusis arcanis formata admirantur mortales, exornarent vberiùs; dicam ipse audaciùs de Vrbini Duce cui nihil deesse visum est, quod ingentem, nobilissimum Heroem, excelsissimum Principem effingeret, in quo quispiam valeret secreta naturæ rimari.

Hu-

Huiusmodi adolescendo ardor gloriæ, honoris fomite nutriebatur. & dicam veré, inter tot Ducum lumina qui eodem amore accensi impellebantur, Ranuccium Farnesium, Antonium Priulum, aliosque pares ætate, admirantibus Ioanne Austriaco, Bracciani Duce, Sanctæ Floræ Comite, Alberico Lodrone, Ascanio è Cornia, Gabrio Sorbellono, totiusque Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ atq. Italiæ flore, quibuscum in D. Claræ templo Neapoli interfuit, Cardinali Granuelano Prorege, & Pij Quinti Summi Pontificis Legato, Regium Vexillum Austriaco deferente, Vrbini Principem tantum enituisse, vt vel si non primus nulli tamen secundus extiterit, idq. sæpius dicere consueuerat Heroinarum illa celeberrima Hieronima Columna, quæ illum hospicio acceperat, præsentemq. & absentem multis præconijs commendarat.

Communem hanc opinionem rebus ipsis animi cor porisq. fortitudine declarauit, cum nobilissimo in illo sed cruentissimo conflictu nauali, alter Achilles, nec inconditas voces, sæuosq. barritus timuit quos circũ littora resonabant, nec infelicium cadauerum imaginem perhorruit quæ tracta, expirantia, semiuiua, turpissimè vulnerata sanguineus turbo iactabat, armorum sonitum, naufraga, & fluitantia, nauigia quæ antè ipsius oculos mersabantur, & quæ virilem ac Heroicum animum perturbare non

D po-

potuere, numquam infractum, non timentẽ sagittarum nubila, exspectantem sedulò sicubi congressurus esset, quo pacto Dux videretur consilio, miles exemplo; atque ità cum primo congressu Echynades tyronem consalutarint, paulòpost veteranum prædicauere, & prædicabunt donec concussis fluctuum licebit subire horrores.

At gloriosum illud est rudimenta militiæ tam pacienter tolerasse, in maritima nauigiorum non dicam tentoria sed castra adolescentem successisse, pugnasse fortiter, commilitonum numerum fortunatiùs implesse, euasisse victorem, vt postmodùm bellicis artibus abundans usus ciuilis experientia, sub ocij tempora togatus Xerses redderetur; & quæ eius nominis Fama in Jonio mari æterna constiterat, trophœa indẽ traducta, in Vrbinatibus collibus ad perpetuam rerum præclarè gestarum, & futurarum memoriam; pro eius dignitate, ad omnium inuidiam collocaret.

Admiramini (Auditores) Francisci Mariæ Secundi nomen; admiramini gestorum ordinem, quæ si bello clara, pace præclara huiusmodi ad gloriosa fastigia sunt euecta, vt summorum virorum gloriam in hoc vno sibi vindicarint. Præscriptos annos quos ille semper ad Dei Maximi voluntatem referebat, festinatis honoribus viuendo celebrius occupauit. Fortunatissimum sibi primum illud propo-

suit

fuit, vt inuictissimi animi robur, quod Philippo Regi pugnando ostendit, seruiendo confirmarit. Secessit in Hispaniam, et inter pueros Aulicos adscitus, cognitus à Rege amantissimè acceptus est, muneribus honestatus, ità vixit, vt vbi in adoptionem virtutis & nobilitatis limina peruenisse omnium consensu fuerit iudicatus, & quòd iuuenilis virtus, & senioris maturitas suum in dies præbuisse suffragium cognoscebatur, tùm præcipuè quod in adolescentiæ lubrico nunquàm cecidit, sed nec titubauit, Regalem amorem ardentius coniunxit, & eius fama tota Europa percrebuit. Tandem verò ad paternos lares rediјt, equo pulcherrimo donatus à Rege, quem in albedine conspersis nigris maculis, rutilantem, peregrinum sonipedem, & in nimia pernicitate Pegasum referentem, chariorem Bucephalo multos annos amauit, & ad viuum depictum in tabula, quæ adhuc reliqua est vt illustre regiј muneris simulacrum, veneratus est & coluit.

Vt primùm resedit ornandæ & amplificandæ bibliothecæ animum adiecit, vastus animus rerum vastitati assuetus vastam librorum congeriem meditabatur. Laudauit magni illius Federici Monfeltriј in comparandis vndiq. libris sedulitatem manuscriptis præcipuè quos Vrbini singulari bibliothecæ loco ciuitatis decori in omnium gentium qui eò confluebant admirationem destinauerat, proprium Vr-

binatium quo nihil nostro sæculo dignius visum fuerat, tot linguarum voluminibus refertum, Biblia præsertim illa permagna charactere hæbraico incredibili pulcritudine conscripta, quæ post Volterræ direptionem eò loci deducta fuerat, æreis sustentata pennis Aquilæ, hæbreorum thesaurus in quo cuncta quæ ijs difficilia in disputationem verteretur facillima sibi posse reddi scripturæ sinceritate aiebant auri pondere libenter si licuisset commutaturi.

Et quamuis ferox ille atque indomitus Cæsar Dux Valentinus nobilissimæ bibliothecæ inhumanam cladem vastando surripiendoque intulisset, semper tamen Princeps noster maximus adeo sibi restituendam duxit vt quantum viribus valeret auxerit, & denuò cum adessem, accersitis Græcis Venetijs commorantibus, aut integros auctores dedescribendos, aut mutilos ex parte reficiendos curarit; nec illud honoris causa addere pigebit, voluisse scilicet Torquati Tassi poema illustrissimi scriptoris manu descriptum inter summos illos Heroes magnificentius exornatum in suo loculo collocare. Nec illud prætereundum Casaubonum Gallum scriptorem, et linguæ Græcæ valdè peritum deprecatore Henrico Galliarum Rege Polybium manuscriptum ab Vrbini Duce impetrasse, nouaque traductione ab ipso excogitata grauem auctorem omnibus mendis quibus aliorum traductionibus scatebat, fuisse

de-

detersum. Nec in ijs immoror quæ in tot reconditis voluminibus parabat, quæ ad manus hominum non peruenerunt vt demortua auctorum memoria reuiuisceret, & literatorum satisfieret curiositati.

Hæc profectò magna sunt et magno Principe digna, sed quoniam intrá hos cancellos contineri magnanimum non decere cogitabat, vagari cœpit latius, & Vlpio, Augustoq; & Cleopatræ in congerendis libris voluisset æquari, & quod Augustanæ, & Bauaricæ bibliothecæ Italicã inuidere non patiebatur suam ipse summa impensa condidit qua Pisaurum illustrauit; post aliquot verò annos in Castrum durantem nouo erecto ædificio transtulit. Nobile id quidem oppidum est suo genio exploratum, & vel Lyceum vel Academiam dixeris, idem dixisse arbitraberis. ambulationes enim ibi arborum frondibus contectæ, auium concentu delectabiles, flumine, & fontibus irriguæ, assurgitque bibliotheca hortorum amænitate hilaris vt vel si perambules vel sedeas Aristotelem aut Platonem te existimabis, quales Franciscus Maria assiduè ambulando meditabundus, sedendo studiosus repræsentabat. Mutatis temporum vicibus Musarum tectum assiduus non hospes, sed inquilinus frequentabat, & inter duodeuiginti voluminum millia solus interdum pomeridianas horas indefessus transigebat, assuetos deinde laboribus Aulicos adibat, percunctabatur,

batur & quid nam rerum agerent, quid scriberent quid notarent? Hauriebat ipse summa festiuitate sermonis, studiosorum sudores, et laudator omnibus faciebat animos & testis virtutum singulorum laudes opportunè commemorabat, vt non fuerit mirum si ex equo Troiano prodierint illustrium Heroum animæ. quæ peragratis Orbis prouincijs tantum se scisse promulgarũt, quantũ ex huius Principis ore excerpserint.

Nullibi terrarum opus aliquod typis dabatur ꝙ non sibi mitteretur. Perlegebat eos libros diligenter, aut legendos ab Amanuensibus Hispanis, atq. Italis quos secum, habebat in mensa curabat, lectosq. signo crucis sua manu signatos, in sua loca reponendas iubebat. Ecquis sexaginta annorum lectione quantum didicerit, aut docuerit posset breui hoc orationis cursu recensere? Quis non illud mirabitur, lectionis gustum eduliorum suauitati anteposuisse? Aurium maluisse oblectamentis exatiari, quàm palatus voluptatem irretire? An quisquam est qui librorum condimentis expulerit fastidia saporum? Qui luxu & crapula non maluerit obruere libros ipsos, vocesq; lectorum? Ipse vero sententias, factaq. illustria vorabat, quibus pro condimento in sermonibus vtebatur.

Sed quandò huc deuenimus (Auditores) obstupescite in moderatione ciborum. Rara in hoc Heroe parcitas, rata victus ratio ad salutem. Exquisita ingenia cœnarum prorsus abijciebat, et palatum insidiarum

rum

rum locum vocabat, vnde ad perdendam hominum vitam, & ad comparandam inopiam, cuncta in profundum ventris gurgitem profunduntur, et præcipitantur. Remotorum locorum piscem, aut peregrini aeris auem cum Heliogabalo flagitare, cum Alexandro vsq. ad funestam ebrietatem accedere, cum Vero profluuium dementis impensæ expectare, hybernas poculis rosas innatantes videre, æstiua christallo. glacie Falerna & Cæuba fregiße, lurconis, & ganeonis non Principis esse, non, per Deum, hominis ingenui, sed eius qui nec diù cupit viuere, & brutorum more sensu allicitur ad corruptelam. Eos qui ingerunt, non digerere. Hinc morborum, & calamitatum illuuiem oriri, & vitam quam viuimus esse miseram, & compendiosam. Caponum, & Fasianorum pectora, leporum lumbos in minutissima frustra concisa comedebat; auiculas quasdam pro tempore sibi apponi voluit. Non amabat pisces præter aliquot littorales, paruulos absque sanguine. Pane apprimè, candido & tenui gallinarum liquamine cocto continenter vescebatur. Cimas Neapolitanas quarum semina in suos hortos contulerat, parari aliquando cupiebat. Fructibus non arboribus sed igne coctis alebatur; piris præsertim Florentinis quibus nihil suauius. Duabus vicibus decem vini vncias prandendo et cœnando sibi bibendas præscripsit. Nouerat iuuenis niuis vsus. sed ingruente podagra, prorsum

il-

illam ablegauit, qua de causa etiam ab oleribus crudis, & piscibus abstinuit. & detestabatur genus illud hominum quibus nunquam persuaderi potuit, niuis potum non sitim sed febrim esse, quæ tanto sæuior increbrescit, quantò stomachi fœces & cruditates calorem suffocantia perditè percupiunt, & in ea palati delectatione miserrimè contabescunt; ideoq. homines nunquam, aut rarò appetere, sed frigiditatis calcaribus ad comessationes stimulari vt in mortis foueas volentes contumulentur. At quoniam omnibus beneficijs Aulicos sibi deuincire conabatur, niuem in locis vbi esset commoraturus seruari affluenter edixit, ne seueritate qua seipsum castigabat, quisquam liberè quereretur, et communi huic hominum opinioni consuleret. sic enim putabat eius domum non posse Spartana duriorem, sed nobilis frugalitatis exemplis, abundantem appellari.

Comedebat vna semper hora, decimaseptima diei, secunda noctis. pransus non dormiebat, cœnatus quarta noctis hora cubitum ibat, indice semper horologio, quo cum accurate metiebatur horas & momenta, ne quid vllo vnquam tempore præteriret, quod sibi agendum esse statuerat. Ità ingentis animi specimen præbens, feliciiatem existimabat cœlorum giros imitari, quibus ea præcipue dignitas inest, quod motu non aberrant, & continuati motus ocio & tranquillitate cuncta metiendo perlustrant. Quam-

obrem

obrem tantum horologijs delectabatur, vt priuatos publicosq. parietes illis exornaret, pro auleis apponeret, doctissimos artifices accerseret & liberaliter enutriret, et ad ea comparanda aliorum Principum animos inflammaret, atque ità vt Hispani Galliq. Reges ab Vrbini Duce, veluti exactè composita, impetrarent.

Ab hinc multos annos ipse vnus domi mensam impleuit, nec vxorem aut filium vel quemquam aliũ admisit, noluit enim aut suam libertatem coercere, aut alienæ libidinis fieri emandator. Semel commensalem illum vidi cum Francisco Contareno ad Principes Italos Legato, quem haud multo post Veneti in Reipub. Principem elegerunt, & quem sumptuosissimo conuiuio exceptum ità tractauit, vt de illius dignitate nihil detraheret, dum ipse eundem cibi, & potus ordinem, illo cum admiratione spectante, seruaret.

Solitudinem profectò effusissimè amabat. Montem Vertichium, & opaca nemora, Siluasq. frondosas Franciscanorum adibat. indè collium & villarum prospectator; hinc vero Dammarum quarum gregem numerosum, maximo sumptu alebat, obseruator assiduus. Sed vtrobiq. siluestrium auium cantu, & plantarum fœcunditate irretitus, nunquam a librorum consuetudine quos eò contulerat, alienus. Sed in cellulis ab ipso ædificatis diuertebat hilarior,

 & me-

& meditabundus ab omni negotio aberat, & Lybicos Anachoretas imitabatur, per amœnos hortos modò deambulans, modò strictiorem vitam sectatus cœlestibus tantùm rebus videretur consecratus. Domi solus neminem ad colloquium admittebat, nisi cum aut causas statis horis audiret, aut audientiam publicè daret, vel euocaret Aulicos, aut in bibliothecam, se conferret. Solitudinem verò leuabat Aulicorum commercio quos rheda secum duas horas habebat, ridebatq; & cachinnabatur, si quempiam festiue loquentem audiuisset, cœteroqui seuerus & tristis, & melancholiæ obnoxius.

Sed vel solus extiterit, vel gauderet comitatu, semper illum lingua in silentio, & in sermone patefecit admirabilem. Quis illum eloquentia superauit quæ nexu grauitatis, & amænitate sermonis illigabat animos suauiter, retinebat inuitos, atque tunc efficacior cùm inter dentium septa se continens auidè expectabatur magna prolatura, vt sæpe silendo fuerit efficacior tanta in eius ore grauitas, & maiestas redundabat. vix lingua mouebatur, & aurium gustus inerat cum expectaret inhians verborum modestiam, sententiarum grauitatem, puritatem sermonis, vt dicamus gratiam linguæ, quam adnotauit in Ludouico Gallorum Rege suis carminibus sanctissimus Vrbanus VIII. Audiui aliquandò in Legationibus eum respondentem in seueritate placidum, in

vene-

veneratione neruosum, non futilem, aut verba non necessaria agglomerantem & quod dicendi præcepta callebat rerum capita curiosis auribus, dicentis gesta intentis oculis obseruabat vt ad plenum satisfaceret, & pericula non prouidi Principis subterfugeret. Sed eloquentiam præcipuè in silentio reponebat, & pauca loquebatur, & à loquaci viro nihil boni expectabat dicens eloquentiam tunc in ingenuo & prestanti homine dignosci cùm silenti motu loqueretur, ideoq; arguebat qui loquentes micant digitis, manibus concertant, et pedes adeò loquaces efficiunt, vt vel sedentes incondito strepitu solum ipsum obtundant. Sic scribendis litteris eloquentissimus omnem fucum eijciebat, simplici sed graui & proprio stilo Romanam Suadam imitabatur, & factus sæpè onerosus secretarijs qui placere cupientes verba, phrases, metaphoras affectatas ampullas cum calamo proijciebant, ad simplicem stilum sed non nimis vulgarem, & sordidum hortabatur, atq; adeò placuit vt permulti ex Italicis Principibus Vrbini Ducis stilum breuem, acutum, argutum, nobilem, præclarum sectati fuerint, & nihil illo scribendi genere illustrius existimarint. Quid verò modestiam tanti viri non commemoro, quæ in summo pectore habitans omnium virtutum admiratione ad summam beneuolentiam atque obseruantiam prouocabat? qua velut sollemni ornatu circumdatus, & milites & custodiam corporis con-

temnebat, hac enim virtute veluti firmissimo muro obsepiebatur, & irradiabant oculi pudore, & frontis serenitas micabat, vultusq; in maiestate demissus coruscabat placidè, vt semper amoris igniculos ex omnium obtutibus sibi polliceretur.

Sustinuit & abstinuit vir summus; veteri prouerbio inclaruit (Auditores). Potuerat aliquando dominantis virgam virulentiùs in rebelles exercere, sed maluit modestiæ fama, quàm Imperij facultate honestari. Potuerat in noxios manus inijcere ciuium bona publicata in Fiscum adrogare, matronarum honestatem vno intuitu perfringere, & coinquinare, sed perpercit genuflexis, maluit fiscales redditus cum patrimonij dispendio adaugere, & familiarum honores in amplam, opulentam, atque gloriosam fortunam reportari. Cum obiurgare potuisset, accusabat placidè; cum repræhendere, libuit admonere. In maledicos insurgebat audacter, sed leni postmodùm moderatione mellitis verbis, & paterna correctione eorum licentiam frenabat; cùmque aliquandò mortuo cuidam quis derogaret, At mortuos quæsò sinite (inquit) & sicubi modestiæ fines transgredi non decet, ad demortuorum famam, ijs vos continere necesse est; nec sputator aut excreator importunus naturæ incommoda iudicio tegebat, nec vnquam caput digito scalpsit aut capillos luxuriosiùs pexuit, qui totius modestiæ sedem omnibus

huma-

humanis vitijs absolutus, in capite collocarat. At verò & non illud in vestitu admirabile? quàm modestè sumptus in se ornando erogabat? lanam illam nobilē Florentinam, quæ Aurati Velleris lumine radiabat in pectore, prætiosiorem habuit, quám dibapho, & conchilio, vel muricè tinctas Imperatorum vestes, & simplici maiestatis pleno decore, spectabilior factus est, quàm si lato clauo, & purpura totum lucidum in curuli sella se videndum præbuisset. Imitari se velle aiebat Regum maximum, & potentissimum Philippum Austriacum, quem magis modestiæ quam Imperij Maiestas suprà omnes Reges gloriosissimum efferebat.

Non tamen difficilis ac morosus, quod vitam à voluptatibus remotam sequeretur, nec sibi parum lætus alijs tristior, sed vicibus suis remissus, & liberalior, quamuis sapientissimos Venetos imitatus mulierum luxum, commessationes, & conuiuiorum nimios apparatus magna ex parte abstulisset, & corruptos mores dicebat semina esse toxici, quod ciuitates perimit, præcipuè verò luxum vestium, & conuiuiorum, quæ omnia affirmabat, cum Seneca, esse ægræ ciuitatis inditia.

Quid verò? laudetur ab Angelis, Christiana religione eminentissimus, in Deum, in pauperes diuitiarum largitor, hinc templorum refector, religiosorum alumnus & obseruator, hinc subleuator miserorum.

Quis

Quis crederet, tercenta millia aureorum pro eleemosinis ab hoc Principe fuisse in tabulas expensi relata, præter duodecim millia, quæ singulis annis suæ ditionis pauperibus impartiebatur? sed quid longiùs eius mansuetæ vitæ indicia aduoco? Moriturus, ne mæstos Aulicos desereret quorum semper stipendia liberaliter profudit, duodecim quoq. millia aureorum distribuenda ex testamento iussit, quamuis eiusdem largitionis assiduus auctor tota vita fuerit, vt eius opulentia quæ constantis beneuolentiæ prima fiducia est, lætarentur magnanimitatis recordatione, mœrerent mortui Principis Christianæ memoriæ obsequij.

O fœlicem Franciscum Mariam è Ruuere. O felicem facundiam qua careo, si vna huius tanti Herois factorum glorias, & verborum copia, & rei magnitudine, orbe plaudente posses explicare. Felicia tempora quæ te habuerunt, te norunt. Felicem Orbem terrarum cuius finibus præclarum illud Vrbini Ducis nomen percrebuit, cùm Solis ardores prætergressum Orientales Indos pereñi, et immortali fama imbuit, librosq. Indico aurato charactere scriptos in tuam bibliothecam introduxerit ex Septentrione vltrá Bosphori Thracij terminos, res immortalitate dignas per internuncios ad te detulerit, atq. præclarissimos illos tuos libros, nouarum rerum thesauris, ornarit, cùm ex Occidente, quicquid Hispana Monarchia moliretur, Oceanus ad Calpem perferret, & Herculis

lis Columnas, indeficiente missione monuerit, & quæ alibi vel ferox Theuto, vel peruigil Gallus perageret, veluti semina reconditarum rerum, recondito papyro apud se seruato sparsit, fœcundè ad omnium notitiam disseminauit. Hæc sunt quæ hunc Principem fecere Augustum, fecere Mæcenatem, sapientissimum fecere, vt sciret, vt cognosceret, vt perficeret, sciret solidè, longereret affluenter, perficeret ad omnium inuidiam.

Et quòd sciret, congereret, & perficeret, ad Magnanimi laudes elatus est, & magnanimi Herois & Principis facta in sũma prudentia locauit. Tanta animi præstantia vt nihil vnquam cuiquam ademerit, sed vltrò omnibus fuerit elargitus; immunitates, priuilegia, titulos concessit, alienam pecuniã non expetiuit; testes Vrbinates, quibus offerentibus quadraginta millia aureorum cum Federicum filiũ Serenis. Claudiæ Mediceæ matrimonio coniunxisset, gratias egit, et se opportunitatem expectare pollicitus est, vt hanc eam animorum liberalitatem sua pecunia compensaret. Interim oppida re frumentaria munirẽt, domos laceras resarcirent, loca publica & priuata squalentia illustrarent, lustra, ludicra pararent, dies festos veteres nouosq. in honorem Principum consecrarent, quo eorum gloria in illis nuptijs elucesceret, ipsum interim Palatij vetustatem renouaturum, cùm domus ornatum quanto fieri posset maximo lu-

xu

tu ornaret, superbum argenti, & auri supellectile instrueret; quod quidem fecit ambitiosiùs, cunctaq; cum Regia magnanimitate prudentissimè disposuit.

Quantum decoris, & splendoris in excipienda Serenissima Nuru ex eius vastissimo animo emicuit? Quantum gemmarum, adamantum, comparatum est? Quis vnionum thesaurus splendidior, & locupletior? Confluxerat Mediolano, alijsque ex locis numerus margaritarum, quem subitò protulisse Goam in Castrumdurantem putassem, & quem non vereor admiratum esse Orionem eo ingressus die sæuissimè armatum, cum ex nimborum lembis cadentes aquarum guttas illarum numerus vicerit. Tunc magnanimarum rerum cumulus eò lætior fuit, quò certabat cum Vrbini Ducis gloria, Florentina maiestas, socijque iuncti splendores luminum faces prælucebant orbi terrarum. Coalescebat cum Pontificum Imperatorum, Regumque stemmate Roboreorum nobilitas; cum Claudiæ venustate, Federici inclita iuuentus; cum Ferdinando, qui Magnus Dux prosperitate triumphat, Franciscus Maria, qui sũmorum Heroum imaginem, sapientia, diuitijs, amplitudine repræsentabat. Cuncta verò, veluti Sol sidera, Eminentissimi Caroli Cardinalis Medicei purpura illustrauit. In illo rerum incomparabili gaudio Floruere Lilia fœlici iucunditate superbiùs, & Quercus Dodonea fortunatior effulxit, frondibusque,

quæ

quæ nulla tempestate emarcuere, coronas nectet sacer Genius, & in filia adolescente seruaturus æternùm. Hac arte mors deluditur, quæ cùm conata esset inter Principem æterni nominis, et hanc mundi ætatem tentare diuortium, augustissimo connubio Deus Maximus permisit ad perpetuam vtrorumq; gloriam gloriosissimam coniunctionem. Magnanimorum Ducum magnanimæ nuptiæ, quarum lætitia Serenissimi Maria Austriaca Aua, Liuia Roborea mater, Ferdinandus maritus exultabunt cũ acclamatione Imperiorum. Florenti annorum æternitate in suis Magnis Ducibus Florentia gaudebit, veluti eorundem summa virtute, & potentia vicinæ gentes, aut interfusis æquoribus abiunctæ in dies exhilarantur, cùm ex Tyrrheni maris arce fulmina contorqueantur in barbaros, ipsæq. continua custodia viuant in sua tranquillitate securæ. Sed addite gloriarum cumulum in Magno illo Serenissimoq. Cosmo, qui tantò Pompeio Magno maior, quantò splendidiùs potuit Imperatorum, Regum, Reginarumque Maiestatem in Italiæ apicem extollere; in Francisco omnem magnanimi Principis splendorem exuperante; in Ferdinando Primo, quem non solũ Pictorum paludes, aut vltima Thules concinunt, aut adustus Æthiops, vel remotissimus Indus veneratur; sed in confessu Cœli esse, non Ioue, sed diuina misericordia dexteram porrigente, pro eius summa pieta-

F te

te speramus; in Cosmo Secundo, quem pater transitum facturus in Cœlum, vidit (& Deo gratias egit) quàm dignum relinquebat hæredem; in Ferdinando Secundo, in quem omniũ mentes, et oculi conuertuntur ad lætitiam, Principe nostro perpetuas fundente orationes.

An tacebo cohortem Prætoriam, quam ex Germania accersiuerat ad custodiam corporis, qua stipatus veri Principis disciplinam æmulabatur, sequentibus veteranis Centurionibus quorum virtutis in multis bellorum cladibus periculum fecerant exercituũ Duces, vndè splendor anteibat euntem, & admirabantur intuentes certare Herois augustã formam, & nobilissimi comitatus spectandam venerationem, dùm sidera cœlestis vultus in quo seueritas residebat, & clementia, cunctis gratiarum suffragia emittere videbantur.

Ad eius magnanimitatis laudes, & honores Ferdinandum Secundũ Maximum Imperatorẽ aduoco. Æstuabat inter hæreticorum horridos fluctus nauis Imperij, minabantur procellæ nouitatis, quam obliterandis veteribus priuilegijs introduxerant, proruere stantem columnam nitebantur, vastarant incendio, & ferro Austriam, & adiacentes Prouincias, & temerè ad Viennam, vsque in Imperiales ædes igneos turbines explodere ausi fuerant. Quare vel si esset interritus timuit Cæsar, & ne prorsus ex suo culmine

mine Jmperium conciderет, publicis litteris à Principibus Orbem habitantibus auxilia impetrauit.

Quanto animi ardore hic Princeps exarsit? Quæ subleuandæ miserrimo tempore Imperialis dignitatis voluntas? Noluit à maioribus suis in Christianæ religionis, sacrique Imperij dignitate retinenda superari. Vindicem se catholicæ libertatis exibuit, pecunia iuuit, & si per ætaten licuisset, nec itinerum difficultatem, nec hostium barbariem, censura & exemplum Principum, sibi pertimescendam statuerat. Sed vniuersas res gestas per longum esset enumerare, scire satis est immortalitatis suæ elogia sine intermissione frequentari, sed & mutam quoque, & inanimatam operum magnificentiam obloqui, & celebrare.

Obloquuntur statuæ, proclamant monumenta sepulcrorum, reboant cauæ margines arenarum, portuum commoda, & vtilitates. Collaudate obsecro pietatem in suos, quos non passus est sine honore iacere; hoc sanè in magnis Principibus maximum reor, maiorum mómoriam ad sæculi æternitatem quouis splendido, & felici inuento restaurari, atq; ideò fatendum necesse est non tantùm, victoriarum triumphis Romanos suorum Ducum tribuisse, quantum cera, statuis, imaginibus fuisse delectatos. Hinc celeberrimè summorum Ducum Federici, & Francisci Mariæ statuæ conspiciendæ essent, quarum alteram ad bellorum labores moueri quis dixerit, in altera martialis

quoq;multis tropheis ornata animaduertitur. In Federici marmoreo signo effecit vt clarefceret quãta esset fortitudine clarus Francisci, Sfortiæ, Florentinorum, Alfonsi, et Ferdinandi Regum, Pij, Sixtiq. Pontificum, & tot fœderatorum, et exercituum Imperator, Romanæ Ecclesiæ vexillifer cui Pontifices tòt beneficia in Ecclesiam accepta retulere Ducatus titulo donato, & quem Mahometes ipse Turcarum tirannus Cristianissimum Principem nominauit. Adhuc viuit in amplissimis matrimoniorum coniunctionibus quibus adsciuit Illustrissimas Domos Sanseuerinam, Columnã, Malatestam, Roboream, atq; Fregosiam, adhuc in omnibus virtutibus viget admirabiliter. Franciscum vero Mariam qui multos annos in Pisaurensis Palatij impluuio omnibus gentibus se videndum obtulit, extollat laudibus Roma quem præsentem Caroli V. Imperatoris coronationi illum vidit Præfectum præeuntẽ Dalmatica serico rubro colore, aurea crûce vittisq. distincta ornatum, nudũ ensem præferentem dũ Philippus Comes Palatinus aureum mundum, Carolus Sabaudiæ Dux pileum gemmis præcinctum in capite et Imperatoris Coronam manu gestaret. Laudet vxor illa ex familia Gonsaga omnes Heroinas supergressa quæ sæpius illum puluere inspersum, sanguine madidum refouit; laudet Mars ipse hoc epigrammate adscripto, Extimuit Mauors spirantem prælia Martem, atq. ait, en potis est vincere marmoreus.

Quid

Quid Vrbini Duce prudentius, quid excelsius qui solido auro non lapide memoriam consecrandam putabat, & mirabatur viros alioqui nobiles tam indignè maiorum monumenta obliteranda potius quã erigenda curare, magnitudinem sumptuum in quæsitissimas dapes profundere, & miseros in re tam præclara, & necessaria velle videri. Ediscant summi viri à summo Heroe maiorem gloriam ex mortuorum memorijs quam ex Porticibus, & Arcubus, quæ viuis erigebantur comparari; veteres ortam sibi gloriam suis monumentis ostendebant, nos verum immortalitatis amorem his imaginibus apertè significamus.

Magna de tanto Heroe audistis; maiora dicenda paraueram; sed in medio itinere defecit ingeniũ deficiunt quæ tantus Heros pro sua dignitate cumulauit, in excelso gloriæ fastigio constitutus. Versor in limine quod vix audeo pertingere; intrà templum cuius nec Musis omnibus aditus patuit, prohibetur accessus. Quis mihi Musagetes daretur comes? quis grandia explicaret? Quis Illustrissimi, & celsissimi Ducis gestorum penetralia lumina valeret intueri? Quid proloquentur homines, vbi sola propria virtus laudem, atq. honorem vindicauit? & tamen ne intermittam, quæ ministrat obseruantia, & suppeditat debitrix memoria, Coronam laudum, & elogiorum, magno Principi, Reipublicæ administratio imponat

hoc

hoc illud præcipuum Ducatus Vrbini monumentum. Tot egregios viros Rerum publicarum spiritus, et ossa, quibus illarum corpora demortua reuixerunt, arcete prophanos, & inutiles (Auditores) cum Franciscum Mariam regnandi, & imperandi sapientissimum auditis moderatorem, qui diuino quodam iudicio minantes politicorum gladios, ità retudit, vt ijsdem armis illos iugularit, verusque gubernandi modus inclaruit, clauum tenere sciuit Gubernator, vt consideret non posse nauim periclitari. Arguebat. Macchiauellum, & Macchiauellistas increpabat iracundè. Fidem dicebat humanam, & diuinam, diuinasque, & humanas leges esse regimina Principum; contradicentes in hæreticam labem demergi. Nunquam à fide Catholica esse abeundum. Quid Sanctius? Quid verò regimini vtilius? Quis fidei catholicæ, obsequentior? Clarissimorum Pontificum disciplina imbutus, quorum auctoritate Romana Ecclesia enituit, eiusdem sancta dogmata veram politicam esse consequuta non verebatur. Suo Sidere, sub ipsorũ cœlo armari politicos aiebat, cũ falsis opinionibus persisterent, qui si sub fidei Catholicæ firmamento spiritum ducerent, nihil vetaret quominùs incultos ferosq; & ignauos homnines se esse animaduerterent.

Hinc factum est, vt eius ætate de cœlo descendisse Astrea videretur, iam æmulator eorum, qui in amplectenda iustitia maximam sibi laudem peperētè, nec

fecit

fecit vnquam, nec quicquàm probauit, quod à iustitiæ finibus decederet, quodque iusti nomen non retineret. Seleucum se fortè ostentasset in filium, in se ipsum sagittas vltionis vibrasset, tantum menti purissimæ iustitiæ ardorem indiderat. Nec in ea osseruanda solus esse voluit; nihil á se humani alienum putabat errare se posse fatebatur. Cum in rebus capitalibus suos iurisconsultos audisset, & damnato alicui moriendũ esse censuissent, processuum exempla ad Bononiẽse, Patauinum, Florentinum collegia mittenda iubebat, & doctissimorum virorum sententias expectabat, tantũ abest, vt celeri motu ad iustitiæ arcana prænoscenda voluerit hominum vitam in discrimẽ aduocare. Suos Magistratus huiusmodi compescuit, vt nemo vllo vnquàm tempore fauorabiles meditaretur sententias, nullo auaritiæ impulsu voluerit perfringi, nullã litibus ætatem prorogaret, nihil ipso inscio prouideret, Salaria interim quæ Ducalis Camara pensitabat; prompta, nec cum rubore accersita, nec præce, nec pretio indigebant. Doctos bonosq; viros vltrò ad Præturas promouebat; reuocabat errantes promptior numquàm denuò in illas admissurus. Errones, & balatrones mendicos explodebat, ne ciuium mores inficerent. Petulantes viros, & immodestè cum mulieribus versantes odio Vatiniano prosequebatur, & sæpe pudicitiam ciuitatum vocabat ornamentum. Et vsque adeò inualuit pudoris, & honestatis obseruantia

uantia

uantia, vt matronæ incomitate securæ, vel extra urbem prodirent, cumq. aliquandò sollicitaretur ab immodesto viro ingenua mulier, Heus tu (inquit) effrons, memineris me Vrbini Ducis esse subditam, qua voce pœrterritus, defixis in terram oculis ruborem dedit penitentiæ testimonium. Ain tu? Ex quo fonte hæc emanabant? Ex eius modestia, quæ summa, quæ rara, quæ præstans, omnes similes sui efficere studebat. Anteuertit suauitate superborum flagitia; Quid ita? præcellebat mansuetudine. Nec verò cum oportuisset aberat à rigore. Cur vero? sic iustus, & cautus imperitabat; huiusmodi in ægritudinibus contraria contrarijs curantur, huiusmodi reguntur Rerumpublicarum status, nec simulatus Tiberius dicendus est Princeps qui accommodatiùs in abditos secessus mentis arcana recludit, vt prosit factum cum foras exierit experimentum. Quid ita? gestorum cautela non venditur Imperator. Didicerat ex Aureliano. Hanc esse vtilem politicæ rationem prædicabat; nam fines conterminos occupare, in ocio suscitare bella, crabrones excitare, aliorum iniurias internoscere quæ vitæ, & fortunis detrimenta parant, dulcia dùm cæteri gustant; te tibi amara conquirere, non politici profectò, sed insani esse existimandum. Nec dolebat Fiscus si quandò ei mala causa esset, cum vectigalia intolerabilia institui, aut tributa non honesta im-

posi-

posita cognoscebat, quæ moderari satius boni Principis emendatione, arbitrabatur; quamobrem & irrogabat, & remittebat; & minuere laturus meliora, et augere compensaturus arbitrio, ducebat honestissimum. Eia agite (Auditores) quid magis eximium expectatis? Ferre leges ad benè viuendum necessarias, easdem latas timeri, nihil à publica vtilitate conuelli, sic placere suis, vt alijs esset exemplo, Fiscum et ærariũ cohibere, Iani fores tẽpori aperire, moderare vbi opus fuerit, profundere ad subditorum vtilitatem qui sciuerit, non ne Princeps est? non ne dominandi arbiter? non ne veræ, & Christianæ politicæ inuentor? Habetis Vrbini Ducem, viget memoria, & quod queritis intus est; habetis in nostra Italia, quæ nec Ninus adinuenit, nec Pericles exequutus est, nec Alcibiades retinuit; quorum virtutes delibauit delicatiùs, & efficaciùs demonstrauit. Habetis tantarum rerum memores perpetuò in vestris pectoribus viuentem, & dùm mortuum ploramus, cuncta quorum meminimus rediuiua sunto.

Funus interim comitemur luctu inconsolabili, atq; adsit Isabella Estensis Ferrariæ Ducis soror, vxor prima, quæ illum puella auxit, amboq; cessere Fato; cuius amplitudinem, atq; virtutes Estensium celsissimorum Principum gloriæ fama, facundiùs quam lingua explicabit, quibuscũ in celeberrimis nuptijs Vrbini Ducis tractandis armis, hastiludiorum ludi-

cris tantus splendor enituit, vt nomine, gestisq. immortalibus gloria tota sua fuerit. Adsit Serenissima Liuia è Ruuere uxor secunda, auspicijs Sanctissimi Vrbani Octaui Ferrariam proficiscentis matrimonio copulata. præclara dotibus corporis inter pulcherrimas Heroinas Italiæ adnumerata; præclarior dotibus animi, quibus modestia, honestate, vitæ sanctimonia nitidè semper coruscauit; præclarissima quod tanto coniugi coniuncta, Heroinarum fuisse maximam potuerit gloriari; quo orbata, ingenti animo nec Semiramidi inuidet, & Artemisiam contemnit, quamuis suum illa Ninum, hæc Mausolum extollat, cùm enim Ducis Vrbini glorias tànquam in speculo in eius viri monumentorum memoria intuetur, tantùm se præcellere cognoscit, quantùm inter priuatas domos theatra consurgunt. Adsit Princeps filius Federicus Secundus, quem vel si raptum inopinatò, & intempestiua eadem mors sustulerit, eundem nihilominùs inuicem cum Patre futurum seruabit æmulatio gloriarum; adsitq. Serenissima Claudia Medicea Ducis nurus Principis vxor quæ fuerat, nunc Serenissimo Leopoldo Austriaco coniuncta, nec enim arbitror felicissimas has nuptias cum funeris comemoratione funestari dùm mutuus omnium inter se amor, simul omnes amanter connectit, ingrediturq. placabilis vbi se insinuat dolor; cùm præcipuè S.ma Victoria, S.mo Ferdinãdo Secũdo nuptiarũ lætitias

sit

ſit expertura. Aduoco affines Jtaliæ Principes, Duceſq. inclitos qui ſigna militaria, atq. trophæa victoriarum feretro imponant, Muſasq. omnes quæ ſpargant flores; tùm verò cipreſſo lugubri coronatas mœſtiſſimi ſtatus ſex ciuitates, Vrbinum, Piſaurum, Eugubium, Callium, Sanleum, Senogalliam, adiunctaq. ijs Caſtella, quæ tot annos tanto Principi, & parenti paruerunt, reddantq. teſtimonium iuris, abſq. iniuria, pudicitiæ cunctis perſpectæ, religionis ſummo honore veneratæ, pietatis in vniuerſos, pacientiæ inæxtimabilis, prouidētiæ ſingularis, prudentiæ ſuprà hominem, exempli incomparabilis, quàm facilis erat adiri, quàm promptus ad iuuandum, quā non fictus amator, non auarus familiaris, non patiens vitiorum. Dicant quantùm laboris ſuſceperit ne difficillimis temporibus penuria laborarent, ne lata Camporum frumenti defectu torperent, ne vitis collem deſereret, aut arbuſtum viduaret, ne numeroſo pecore campeſtria carerent, quò lætior victus eſſet, & diuitem Vrbini ſtatum quiſquè prædicaret, quo circà impenſiùs pecuniæ cudendæ eo aeris pondere incumbebat, quo veluti, Chinenſibus intrà Status limites coerceretur, atq huiuſmodi ciues efficeret affluētes; fidemq. faciant Sanctiſs. Vrbano Octauo, de cuius amplitudine, ſucceſſione temporis, maiora ſibi pollicentur. Habuerunt patrem Vrbini Ducem, habent parentē Sedem Apoſtolicam, vtriq. gratulentur, virorumq. be-

ne-

neficia internoſcant, quæ ſi in Vrbini Duce memorabilia fuerunt, in Romanæ Eccleſiæ ditione grandia prædicabuntur, in Eccellentiſſimorũ Barberinorũ ſublimi, et amoris pleno Imperio, æterna. Atq. interim adſint Octo Sãctiſſimi Sũmi Pontifices Sixtus ille IV. ſplendor Liguriæ, Iulius II. proſperũ Sidus Eccleſiæ, Paulus III. Romanæ Sacræ poteſtatis amplificator, et Florentini cœli lucidiſſima numina, Leo X. Catholici orbis delicium, Pius IV. Sacri Senatus gloria, Leo XI. in quo ſecuritas tẽporũ expectabatur, Clemens VIII. omnis felicitatis amator, et Vrbanus Octauus quo nihil excelſius. Suis demortuum Ducem ſacris benedictionibus impleant, Magnoſq. Duces Ferdinandum, & Victoriam de rore cœli, & pinguedine terræ locupletent, qui beatam vitam degant; diuinis gratijs abundent, atq gloriarum cumulo ſuprà omnes Principes extollantur. Dixi.

SERENISSIMO
FRANCISCO· MARIÆ· SECVNDO
E RVVERE.
VRBINI. DVCI. SEXTO. ET VLTIMO.
INCLITO. SAPIENTISSIMOQ.
OMNIVM PRINCIPVM FLORI
NON MARMORE.SED.COELI SVBLVNARIS
VASTITATE CONTVMVLANDO
ITALIA MOERENS. LACRIMANS.
POSVIT.